

bis ex temporalibus rebus languorem excutientes, rectum coram Deo erigere possimus nostrum animum. Non enim de manibus & genibus corporis dicit: neque cum cursoribus, aut luctatoribus loquitur; sed vires interiorum cogitationum prostratas à tentationibus excitare his verbis mandat. Nam divinæ communionis tempore, fratres, non homines soli hanc tremendam vocem edunt, sed etiam Angeli ad genua accidunt Domino, & Archangeli canunt. Habent enim opitulans sibi tempus, & adjuvantem oblationem. Et quemadmodum homines ramos olearum amputatos Regibus projiciunt, ut per plantam misericordiæ & humanitatis illos admoneant: Sic etiam angeli tunc pro ramis olearum ipsum corpus dominicum prætendentes Dominum obsecrant pro humana natura, propemodum dicentes: Te pro his precamur, quos ipse prior sic dilexisti, ut animam tuam dederis. Pro his preces supplices fundimus, pro quibus sanguinem ipse fudisti. Pro his rogamus, pro quibus corpus hoc immolasti. Quid enim Ecclesia Dei potentius fuerit? ne mihi dicas, moenia & arma. Hæc enim cum tempore inveterascunt. Ecclesia vero senescit nunquam. Muros Barbari evertunt; Ecclesiam vero ne dæmones quidem superant. Ac quod hæc verba non sint ostentatio, res testatur. Quam multi impugnarunt Ecclesiam, & impugnantes interierunt? Ipsa verò supra cælum ascendit. Tanta est magnitudo Ecclesiæ: oppugnata vincit, petita infidiis superat, affecta contumelia, illustrior evadit. Scire igitur vellem, ubi commorentur hi, qui communionem despiciunt, & huic sacræ mensæ non interfunt: imo verò scio planè. Aut enim de absurdis, & ridiculis rebus differunt, aut temporalibus affixi sunt curis. Utriusque verò rei tractatio venia caret, & pœnam meretur extremam. Ac de priori quidem ne oratione quidem

*Simile.**Potentia  
Ecclesiæ.**Causæ ab-  
strahentes de  
communio-  
ne.*

B

opus